



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. VI. De probrosa morte Arrii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

um de exilio revocari jubet, & mitti ad Episcopos, qui tunc forte Hierosolymis ad dedicationem ecclesiæ conveniant, fidemque ejus probari. Tunc ille fidem scripsit quæ quidem sensum nostrum, & verba nostræ continere professionem videretur. *Socrates in Tripartita historia.*

## C A P. VI.

*De probrosa morte Arrii.*

**I**mperator autem adhuc de *Arrio* experiri volens, eum revocat ad palatium. Qui percunctatus de fide Nicenâ, fide subscribit, & præstat juramentum, quodammodo jusjurandum arte deludens, ferturque scriptam sectam suam habuisse in charta, quam sub ala ferebat, unde vere jurare se credidit dicens: *Se sic sapere, sicut scripsisset.* Credens ergo Imperator, suscipi eum ab *Alexandro Constantinopolitano* Episcopo in communionem jubet. Quo renuente adhuc propter infamiam, & suspicionem hæresis devitante, jubet Constantinopoli Synodum congregari. Ante vero primum Concilii diem constitutum, prosternens se *Alexander* sub Altari, tota nocta clamat ad Dominum, dicens: *Judica Domine inter Eusebii minas, & Arrii jura.* Quo valde supplicante, præsumptionem *Arrii* & juramentum mendax, mox vindicta Dei persequitur. Etenim cum in crastinum matutinum ad ecclesiam properaret, Episcoporum & populorum frequentia constipatus, humanæ necessitatis causa ad secessum declinat, ibique cum sederet, inte-

stina

stina ejus atque omnia viscera in secessum cuniculorum defluxere. Tunc *Eusebius* Nicomediae cum cæteris Arrianis confunditur, nec propter causam Arrianum dogma confunditur, sed ad tempus occultatur.

## C A P. VII.

*De baptismo Constantini Imperatoris, & ejus morte.*

Interea Constantinus Imperator, cum in Nicomedia degeret, languore gravatus, in extremis baptifatur. Distulerat enim usque ad illud tempus, in *Jordane* hoc promereri desiderans; Qui condito testamento, & tribus filiis hæredibus constitutis, primo scilicet *Constantino* in Hesperia, secundo vero scilicet *Constantio* in Oriente; juniore scilicet *Constante* Cæsare ordinato, & in partibus Occidentis, post quinquagesimum quintum ætatis suæ annum, vivendi finem facit, revocato prius Magno *Athanasio* in Alexandriam, propter persecutionem Arrianorum exulante. Igitur Christianissimo Imperatore defuncto, Arrianum iterum dogma repullulat. *Constantius* Imperator seductus ab hæreticis in eundem errorem devolvitur, & Magnum *Athanasium*, veritatem edocentem, condemnat. In cujus persecutionem postmodum graviter conspirantibus hæreticis, & multa crimina intendentibus, universus orbis conjuravit, & commoti sunt Principes terræ, gentes, regna, exercitus cojerunt adversus eum. In cujus damnationem, cum apud *Mediolanum* congregati subscribere cogerentur Episcopi, quibusdam eorum deceptis, *Pictaviensis*